



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Posterior pars præcedentis opinionis rejicitur. c. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

opinio. Tum quia iam satis probatum est non posse esse in beatitudine aliquod meritum: quare nec meritum nouum, nec continuatio prioris ibi esse potuit: nam eadem prorsus requiruntur ad continuandum meritum antiquum, & ad nouum aliquod meritum. Tum etiam quia si demonibus post meritum viæ, quo fuissent æquales cum bonis, daretur beatitudo sicut illis concessa fuit eodem modo meritum continuassent, & terminassent: quare iudicium Domini æquum non fuisset in retribuendo.

Quomodo
aliqui de-
fuerint hanc
continuatio-
nem meriti,

29.
Impugnatur.

Cum beati-
tudine non
potest simul
esse libertas
ad peccandum.

Ceterum videamus, qua ratione cogitari possit in Angelis aliqua meriti continuatio, & terminatio cum libertate in primo instanti beatitudinis. Ego sane non video, quo alio modo hæc continuatio & consummatio cogitari potuerit, nisi ut aliqui cum Caietano in articulo illo 6. §. *Ad secundum vero dicitur*, comminiscuntur, ita nimirum ut in eodem instanti primo beatitudinis consideretur Angelus ut prius natura potest impedire meritum viæ per peccatum: & quia in eo constanti boni non posuerunt impedimentum merito suo per peccatum, data est illis beatitudo in eodem omnino durationis momento, quo potuerunt illud impedimentum ponere, & non posuerunt: malis autem denegata est beatitudo, quia merito viæ impedimentum peccati opposuerunt. Verum hic modus consummationis & terminandi meritum in beatitudine impossibilis meo iudicio est. Et in primis quidem, si in eo instanti potuit meritum terminari & consummari per continuationem: cur obsecro incipere non potuit? neque enim minor libertas requiritur ad continuationem meriti quam ad inceptiorem. Quod si incipere potuit meritum simul cum beatitudine: poterat sane Caiet. in præcedentem sententiam omnino consentire, nec opus illi erat hanc nouam excogitare: cum eadem omnino difficultas utrobique sit: posset etiam sequens præcedentem opinionem discernere meritum bonorum Angelorum à merito demonum, quod fuit peccatum eodem modo, quo secundum suam opinionem distinguit.

Verum ostendamus in primo illo instanti beatitudinis non potuisse manere libertatem ad peccandum, quam ponit Caietan., ut meritum in eo posset terminari: nam quamuis creatura rationalis ex sua natura considerata libera sit ad peccandum, & ex hac parte nihil obstat consummationi meriti: tamen cum hæc libertas manere nequeat in creatura rationali cum clara Dei visione, dici nullo modo potest, in eodem instanti durationis & temporis, prius tamen natura, Angelum videntem Deum posse peccare: cum in eo instanti impedita habuerit potentiam & libertatem ad peccandum: nam quæ priora dicuntur natura, aut consideratione in eodem temporis momento, debent etiam in eodem momento, se ipsa esse posse. Porro autem visione clara Dei libertatem omnem ad peccandum impediri, docet S. Thomas 1. 2. quæst. 4. a. 4. & ipsemet Caietan. ibidem: cum sola enim obscura notitia Dei, libera manet creatura rationalis ad peccandum, ut eo loco vberius probabimus: parum autem refert, quod dicebamus, nempe Angelum ex sua natura liberum esse: ut affirmemus, in primo instanti beatitudinis prius natura potuisse peccare, & ita meritum consummare. Primo quia, ut proxime notabamus, ut diceremus in eo mansisse liberta-

tem prius natura debeat in eo instanti sine impedimento esse. Secundo quia si ea sola ratione diceretur Angelus prius natura liber manere ad peccandum cum visione, non solum diceretur in primo instanti beatitudinis secundum durationem potuisse meritum consummare, sed etiam toto tempore beatitudinis mereri, qua toto tempore mansit Angelus ex se liber ad peccandum. Tertio eadem ratione dicere possemus, Christum in primo instanti, imo toto tempore sequenti meruisse suam beatitudinem in essentiali: quia humanitas ipsius ex se semper erat libera ad peccandum. Pro his tamen rationibus proxime factis obseruandum est: ideo non potuisse Angelos in beatitudine liberos manere ad peccandum, & ad consummationem meritum cum clara visione, quia cum clara visione simul peccatum esse non poterat, sed illa necessario à peccato retrahit, hæc autem necessitas est præcedens libertatem nostram, nullo modo pendens ex ea, ergo cum tali necessitate non potuit libere peccare: necessitas enim præcedens aduersatur libertati, ut dictum est disput. 88. & 99. quare licet Deus ab æterno decreuit producere hominem aliquem & tale decretum mutari nequeat, atque eo semel supposito necessario vellet id, quod decreuit, nec vquam eius voluntas fuerit sine hac necessitate, quia ab æterno illam habuit, sicut ab æterno decreuit nihilominus dicimus, Deum libere simpliciter illud velle: quia ex se ita indifferens erat ad volendum, & decernendum oppositum velle, nec ulla antecedenti necessitate impulsus illud voluit, sed sola necessitate sequenti, quæ sequitur positionem determinationis sue voluntatis: ac proinde alia est ratio de necessitate, quam habet creatura rationalis ex visione clara Dei: quia est præcedens. Postremo iuxta hanc sententiam Caiet. non videtur æqua via Domini, quam cum bonis, & malis Angelis seruauit: nam si non satis erat utrosque in primo instanti prout meritos fuisse suam beatitudinem, sed opus fuit meritum ab eis consummari: cur sicut expectauit bonos tribuere eis beatitudinem, ut in ea meritum consummarent, cum possent peccare non expectauit eodem modo malos? Et quamvis aliqua ratio huius inæqualitatis assignaretur, at nulla certe assignari potest, ut dicamus, Deum expectasse bonos Angelos & eorum meritum bonum aut malum in beatitudine: nam quo pacto eos expectare posset, quos iam beatos? His rationibus refutata manet opinio Caietan. quæ ad priorem partem: quoad posterio-rem vero sequenti capite impugnabitur.

CAPVT VII.

Posterior pars præcedentis opinionis
retrahitur.

Illud autem, quod attinet ad vitam & terminum malorum Angelorum, prout constituit præcedens sententia, facile quoque confutabitur. Et ut itaque duratione Angelum peccasse, & poenam æternam incurrere non potuisse, sic ostenditur: aut enim sermo est de pena sensus, aut de pena damni: de pena sensus prædicta opinio non intelligitur, & quidem nulla ratione id dicere potuisset, nec ullus hæc tenus affirmavit. Tum quia Angeli in primo instanti, quo peccarunt, fuerunt in celo, vnde exclusi sunt, & in igne inferni missi: tum etiam quia pena sensus est quoddam incen-

tiura

*Dæmones
non potuerunt
simul cum
pœna damni
habere pœ-
nitentiam.*

tuum peccati contra Deum, quod Deus nunquam immittit in primo peccato, sed propter priora peccata: de pœna autem damni idem ostenditur: nam si aliqua ratione quis posset dicere in eodem instanti peccasse dæmones, & incurrisse hanc pœnam, maxime quia hæc pœna posita est in pœnatione gratia iustificantis, aut habitualis: hæc autem ratio non sufficit. Nam privatio huiusmodi non quouis modo accepta, est pœna damni æterna, alioqui & homines, dum peccant in hac vita, & privant se gratia habituali aut iustificante, incidere deberent in pœnam æternam: præsertim vero illi, qui iam non sunt surrecturi à peccato, nec vquam iustitiam habebunt, quod tamen nullus concedit. Cum igitur hæc privatio sit tantum pœna damni, ab eo puncto temporis, à quo ex lege Dei restaurari non potest, & hæc lex non incipiat damnare hominem, aut Angelum à primo instanti, quo peccare incipit, sed tempore deinde sequenti: efficitur, Angelum non incurrisse pœnam damni in primo instanti, etiam si in eo privatus fuerit gratia habituali, aut iustificante, quare non dicuntur Angeli in primo instanti caruisse auxilio sufficienti, cum adhuc essent in via, sed tantum à tempore sequenti peccatum. Quod autem sit hoc auxilium sufficiens, quod damnati privati sunt, disp. 240. & sequenti dicemus.

33.
*Fulgentius
Locus obicitur.*

Ceterum qui præcedentem sequuntur sententiam conantur eam probare ex Patribus. Primo ex Augusti. aut potius Fulgentii libro de fide ad Petrum cap. 3. ante medium, ubi ita scribit. Pars itaque Angelorum, a suo Creatore Deo (quo solo bono beata fuit) voluntaria prorsus averseione decessit, aequitatis suprema iudicio initium sue damnationis in ipsa averseione voluntatis invenit, ut non aliud ei esset incipere iam puniri quam illius beatifici boni dilectione destitui. Hæc Fulgentius. Quibus expressa videtur prædicta sententia. Respondendo, dupliciter intelligi posse, fuisse initium damnationis primum Angeli peccatum. Vno modo extrinsece, quia deinde proxime sequuta est damnatio. Altero modo intrinsece, ut ipsa voluntaria averseio fuerit pars damnationis intrinsece. Dico igitur, priori modo dictum fuisse à Fulgentio, initium damnationis fuisse in ipsa averseione, non tamen posteriori modo. Loquor autem de averseione illa voluntaria, quæ prima fuit, ut hæc non potuerit esse initium intrinsecum damnationis in primo instanti, non temporis discreti, sed correspondenti temporis nostro: nam idem instans temporis discreti respondere potest temporis nostro: ea vero parte, qua respondet primo instanti nostri temporis, non potuit esse initium intrinsecum damnationis, propter rationes allatas: tamen si eadem averseio perseverans, pro tempore sequenti esse potuerit pœna damnationis, ut disp. 240. explicabitur. Quare quod dixit Fulgentius, Angelum incipere iam puniri, nihil aliud esse, quam Dei dilectione destitui: eodem modo debet intelligi, de initio extrinseco damnationis.

*Damasius
exponitur.*

Deinde obicitur nobis aduersarij Nyss. libro 1. philosophia cap. 3. & Damasc. 2. num. 2. lib. de fide cap. 4. in fine, qui docent, idem fuisse Angelis lapsum, quid hominibus est mors: atqui in ipso puncto mortis homines iam sunt damnati: ergo etiam Angeli in ipso momento lapsus damnationem incurrun. Respondendo, Damasc. & Nyss. non loqui de morte in facto esse, hoc est, de momento illo

ARTIC. V.

separationis animæ à corpore: sed præuis dispositionibus, quæ proxime præparant ad mortem, tunc enim dicitur homo mori, in instanti autem separationis dicitur iam mortuus, & huiusmodi comparant lapsum Angelorum. Hoc autem colligo ex verbis, quæ subiungit Damascenus, quæ etiam sensum alius verbis expressit Nyssen. loquitur enim Damascen. Post lapsum enim præuisam est illa (hoc est Angelis) omnis respiciendi facultas, quæ modum & hominibus, postquam ex hac vita migraverunt, non dixit Damascen. Angelis in ipso lapso fuisse præclusam viam salutis, sed post lapsum, nec hominibus in ipsa migratione, & morte, sed post mortem, constat autem hominibus peccatum esse viam salutis in ipso puncto, quo separati sunt à corpore, ergo nomine mortis non intellexit separationem ipsam, sed præuis dispositiones, quas diximus: & his comparat lapsum Angelorum. Eodem modo Elias Cretensis in oratione contra Nazianz. quæ est inuectiva 3. contra Iulianum in illa verba, Quicquid cum potentia, & dixit. Post lapsum nullus est Angelis penitentia locus, quem ad salutem nec hominibus post mortem. Non dixit, in ipso lapso, nec ipsa morte: sed post lapsum in Angelis, & post mortem in hominibus.

CAPVT VIII.

Alia Theologorum opiniones.

QVarta sententia sit Capreoli in 2. dist. 4. quæ articulo 1. concludit, præsertim vero illam addit art. 3. ad 1. contra quintam conclusionem, quæ de recentiores Thomistæ libenter amplectuntur: de quoad instanti assignationem, quibus complexa fuit via Angelorum, sequitur etiam fuerunt Scoto in 2. dist. 5. q. 1. §. Ad primam questionem, Gabriel addit dist. quest. 1. art. 2. Bassolis quest. 1. art. 5. quævis enim Gabriel, & Bassolis alio modo instanti via Angelorum assignant: hanc tamen sententiam inter magis probabiles opiniones connumerant, dicunt autem omnes à Capreolo in assignando primo instanti dumtaxat, quia Capreolus putat Angelos omnes in gratia fuisse creatos, & ita eo gloriam non meruisset at vero ceteri censerunt omnes Angelos in pura natura productos fuisse. Tria igitur instantia temporis discreti tam bonis, quam malis Angelis constituit Capreolus in opotum primo, & secundo utriusque fuerunt in via: verso tamen modo, ut in primo utriusque fuerunt in gratia creati, sed nullus meruit beatitudinem, quia receperunt gratiam sine actu proprio, & dispositione: in secundo vero boni meruerunt beatitudinem operantes ex gratia, mali autem peccauerunt amittentes gratiam: in tertio boni beatitudinem in præmium receperunt, mali autem damnationem incurrerunt. Arbitratur etiam Capreolus, impossibile fuisse, Angelos in primo instanti beatitudinem promereri, etiam si gratia fuerint creati: at vero Scotus illis meritum huiusmodi denegat, quia censet, in pura natura creatos fuisse.

Hæc sententia, quod attinet ad primum instanti, ut defenditur ab Scoto, supra impugnata est disp. 226. c. 2. & seq. ubi probauimus Angelos omnes in gratia creatos esse: deinde contra Capreolum ostendimus disp. 227. c. 1. Angelos proprio dispositione liberi arbitrij ex gratia Dei ipsum gratiam habitalem recepisse, quam quidem vitam dei positionem in homine esse meritum sit æternæ ex p.